

Iuppiter aeterna gentis in pace futuras?  
 Aeneas Rutulum Sucronem — ea prima ruentis      505  
 pugna loco statuit Teucros — haud multa morantem  
 excipit in latus et, qua fata œlerrima, crudum  
 transadigit costas et cratis pectoris ensem.  
 Turnus equo deiectum Amycum fratremque Dioren,  
 congressus pedes, hunc venientem cuspide longa,      510  
 hunc mucrone ferit curruque abscisa duorum  
 suspendit capita et rorantia sanguine portat.  
 ille Talon Tanaimque neci fortemque Cethegum,  
 tris uno congressu, et maestum mittit Oniten,  
 nomen Echionium, matrisque genus Peridiae;      515  
 hic fratres Lycia missos et Apollinis agris  
 et iuvenem exosum nequiquam bella Menoeten,  
 Arcada, pisoosae cui circum flumina Lernae  
 ars fuerat pauperque domus nec nota potentum  
 limina conductaque pater tellure serebat.      520  
 ac velut inmissi diversis partibus ignes  
 arentem in silvam et virgulta sonantia lauro,  
 aut ubi decursu rapido de montibus altis  
 dant sonitum spumosi amnes et in aequora currunt,  
 quisque suum populatus iter: non segnius ambo      525  
 Aeneas Turnusque ruont per proelia; nunc nunc  
 fluctuat ira intus, rumpuntur nescia vinci  
 pectora, nunc totis in volnera viribus itur.  
 Murranum hic, atavos et avorum antiqua sonantem  
 nomina, per regesque actum genus omne Latinos,      530  
 praecipitem scopulo atque ingentis turbine saxi  
 excutit effunditque solo; hunc lora et iuga subter  
 provolvere rotae, crebro super ungula pulsu  
 incita nec domini memorum proculcat equorum.  
 ille ruenti Hyllo animisque inmane frementi      535  
 occurrit telumque aurata ad tempora torquet:  
 olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.  
 dextera nec tua te Graium fortissime Cretheu  
 eripuit Turno. nec di texere Cupencum  
 Aenea veniente sui: dedit obvia ferro      540